Michaël Mekelburg

7

I. N. J.

PULMONUM FABRICAM,

ACTIONEM, EORUMQUE AFFECTUS POTIORES,

In Celeberrimâ Porussorum Universitate, Consensu Amplissimæ Facultatis Medicæ,

Publico eruditorum examini subjiciunt,

PRÆSES

JOHAN LÖSELIUS, D.

RESPONDENS

JOHANNES Jagenteuffel/ Megapol.

In Auditorio Majori, d. XXX. Martij,
M DC XL.

REGIOMONTI,

Typis JOHANNIS REUSNERI.

BIGÆ VIRORUM
Illuſtrium, Magnificorum, Generoſiſſimorum,
Sereniſſimi Electoris Brandeburgici Conſiliariorum ſummorum,
&
Incluti Ducatus Poruſſiaci Regentium
eminentiſſimorum,

Dn. ANDREÆ à Kreutzen/
Provinciæ Magiſtro laudatiſſimo,

Dn. FABIANO ab Oſtaw/
Cancellario graviſſimo,

DDnn, Patronis & Mœcenatibus
gratioſiſſimis,

Hunc animi devotiſſimi obſidem qualemcunq;

ſiſtebat

JOHAN LÖSELIUS, D.

In Nomine Conditoris Jesu.

ΠΡΟΔΡΟΜΟΣ.

Pulmo cum sit viscus σπογγοειδὲς καὶ ἀραιόν, *& hoc nomine humores noxios facilè imbibat, insimulq; hominem variis morbis reddat obnoxium, voluimus hac* ἐξετάσει *inquirere in naturam & constitutionem istius visceris, quò postea promptiores essemus malis, quibus pulmo infestatur, propulsandis. Huic nostro proposito summum adspiret Numen.*

THEOREMA PRIMUM.

Pulmo est corpus dissimilare, aëreæ ac spongiosæ substantiæ, in thorace situm, respiratui, voci, risui, vitæq; meliori deserviens.

§ I.

Rufo Ephesio *lib.* περὶ ἀνθρώπου μορίων, Pulmo est σομφός τε καὶ ἀραιός, περιεχόμενος τῷ κύτει τοῦ θώρακος, σφαιρώδης καὶ μέχις τὸ σχῆμα, διαιρούμενος εἰς λοβοὺς πέντε, τὴν χροιὰν τεφρὸς καὶ ὑπόλευκος, ἀεικίνητος, χώνης τρόπον ἐπέχων εἰς δίοδον τοῦ πνεύματος. Vide *Not. Foësij in Hippocr. p.* 916.

II.

Ventilabrum illud Græcis πνεύμων (διὰ τὴν τοῦ πνεύματος ὑποδοχὴν, ut explicat Ariſtot. *lib. de reſpir. c. X. p.* 1509) vel Atticè πλεύμων appellatur, unde πλεῦμος pulmonis vitium, πλευρίω tabitudine urgeor.

III.

Corpus eſt diſſimilare, cum parenchyma habeat peculiare, pluſculis vaſis donatum, & tunicâ ſuá veſtitum.

IV.

Subſtantia ob meatulos maximè poroſa eſt, partim ut imbibat aërem, partim aliquantillum hauſti potus. Galenus *lib. VI. de uſu part. cap. X. p.* 301. *Claſſ. I.* ſcribit: Pulmonis corpus leve eſt ac rarum, & velut ex ſpumâ quadam ſanguineâ concretâ conflatum, ob eamq; cauſam puro ſanguine & vaporoſo, ac tenui indiguit. Cauſam mollitudinis ſpongioſæ ſubjungit Galen. *lib. IIX. de Hippocr. & Platon. decret. cap. IX. p.* 558. *Claſſ. I.* ubi ſubſtantiam pulmonum mollem eſſe primùm ac exanguem tradit, deinde cavernoſam ſpongiæ inſtar, ac foraminulentam, ut ſpiritu potuq; excepto reſpiratum refrigeraret, æſtumq; mitigaret. De Scanderbeccio ferunt, eum tam ſpongioſos habuiſſe pulmones, ut irâ commotus inter pugnandum ſæpius ſangvinem expueret, eundemq; barbæ adhærentem manu abſtergeret, citra rupturam vaſorum. Leviſſima inſuper eſt, ne cor gravetur circumplexu. Infantulis verò, utero materno adhuc concluſis, ponderoſiores ſunt pulmones, & aquis immerſi ſubſidunt.

Q. *An pulmo rarior & fungoſior autor ſit exigui potus deſiderij?* Affirmat hoc Ariſtot. *lib. VIII. de hiſtor. animal. cap. IV. p.* 1017. ἔστι μὲν οὖν ὀλιγόποτα καὶ ταῦτα (ſerpentes exau-

audit) καὶ τἆλλα, ὅσα ἔχει τὸν πνεύμονα σομφόν. Volucrum exemplo huberiùs hoc probat *lib. III. de partib. animal. cap. VI. p.* 1158.

V.

Interventu mediaſtini diſſecatur pulmo in partem dextram & ſiniſtram. Θέλει γὰρ εἶναι διμερὴς ὁ πνεύμων ἐν ἅπασι τοῖς ἔχουσιν αὐτόν, Ariſt. *lib. I. de hiſtor. animal. c. XVI. p.* 843. Utraq; pars rurſus in fruſta certa dirempta eſt, etiamſi id neget Ariſtot. *l. c. ſcribens:* ἔστι δ' οὐ πολυσχιδὴς ὁ τοῦ ἀνθρώπου, ὥσπερ ἐνίων ζωοτόκων. Fruſta illa Hippocrati ὑπερκορυφώσιες, alijs λοβοὶ nuncupantur. Eſt autem λοβὸς propriè ima auriculæ pars, quâ apprehenſa aures obliviosſo vellicamus, quæq; ob appenſum τῶν ὠτῶν κλέος (unde Clenodium) ſæpiuſculè ſuperbit. Habet verò quælibet pars duos lobos, ita ut in homine plerumq; quatuor numerentur. Hippocr. *lib. de corpor. reſection. p.* 915. ſcribit: ὁ πνεύμων πέντε ὑπερκορυφώσιας ἔχει, ἃς δὴ καλέουσι λοβούς. Et Rufus Epheſius pulmonem ſtatuit διῃρημένον εἰς λοβοὺς πέντε. Verùm rarius hoc fit, idq; bis vel ter notatum ab Adriano Falckenburgio, Anatomico Leidenſi. Nuper quoq; dexter pulmo in puellâ quadam in tres lobos diremptus obſervatus fuit, quorum infimus maximus erat, duo vero relliqui æqualis ſed minoris magnitudinis. Galen. *lib. VII. de uſ. part. c. X. p.* 318. *Claſſ. I.* quintum lobum parvum, in dextrâ parte poſitum, eumq; triangulum, ac venæ cavæ gratiâ factum ſtatuit. Quod verô fruſtatim ſit diſſectus pulmo, cenſet Galenus eo nomine factum id eſſe, quò totum viſcus faciliùs ſimul, ac tutiùs dilatetur ac comprimatur, ſuisq; lobis velut digitis quibusdam Cor ipſum amplexetur.

VI.

Temperamentum ipſius Calidum & humidum cen-

censetur, quippe ὁ πνεύμων αἷμα πλεῖστον ἔχει τῶν ἐν τοῖς ζώοις μορίων, scribit Aristot. *lib. I. de histor. animal. c. XVII. p.* 845. Hippocrates *lib. de corde, p.* 269. frigidũ statuit pulmonem, dum scribit: ὁ γὰρ πνεύμων φύσει ψυχρὸς, ἀτὰρ καὶ ψυχόμενος τῇ ἀναπνοῇ. Verùm nos efficienter & respectivè tantummodo dictum viscus asserimus esse frigidum. Flabellum quippe est cordis, nec ita exæstuat, quemadmodũ ἑστία τοῦ θερμοῦ, Cor scilicet.

VII.

Figuram habet irregularem, foris convexam, intus concavam, qualis ungulæ Caballinæ debetur. Rufus Ephesius statuit pulmonem σφαιρώδη καὶ μείζον. Color secundùm Rufum est τεφρὸς καὶ ὑπόλευκος, cineritius & subalbicans. Nos in fætu rubeum statuimus Colorem, in aliis dilutiorem & flaviorem.

VIII.

Vasa habet quatuor generum. Et quidem primò nervulus ipsi exiguus concessus est, qui sexti conjugij pullulus ad tunicam pulmonum externam se recipit, nec carnem subit. Cor duplex ipsi suppeditat vas, Venam arterialem è dextro, & Arteriam venalem è sinistro specu prodeuntem. Utrumq; vas pulmonum subiens tugurium in duos dissolvitur ramos, qui mox iterum in plures, donec tandem in Capillares discerpantur surculos. Hæc vasa ubi rumpuntur tussiendo, floridus expuitur sangvis, & plerumq; succedit puris sputum & tabes, *Hipp. VII. aph. XV. & XVI.*

IX.

Demptis vasis illis, adhuc peculiare vas pulmonibus sacratur, quod τραχεῖαν seu asperam arteriam vocitant.

Arteria

Arteria dicitur, ὅτι ἀέρα τηρεῖ, quod aërem servet. Tracheja illa ubi aditu suo pulmones perforat, itidem in binos divaricatur surculos, in bina pulmonũ latera introëuntes. Hi rursus in binos abeunt ramos, & hi porrò in plures, donec tandem in omnes lobos variè disseminentur. Pulluli illi βρόγχια dicuntur, & sunt cartilagineæ armillæ, orbiculares, quadratæ, rhomboides, triquetræ, lateribus Venæ arterialis, & Arteriæ venalis assidentes. Feruntur autem medio itinere inter Venã arteriosam, quæ posteriùs est, & Arteriam venosam, quæ anteriùs. Oscula quoq; arteriæ venosæ tam egregiè associantur osculis asperæ arteriæ, ut fumido vapori & aëri patula concedatur exitus & ingressus via.

X.

Membranâ tenui extrinsecus investitur pulmo, quæ à pleurâ costas succingente oriunda foraminulis pertunditur plusculis, quò saniem in thoracis cavitate stabulantem imbibere, & ad syringas seu bronchia eandem ablegare possit. Meatuli illi, pulmonibus folle fortiùs sufflatis, hiando obtutui nostro se ingerunt, stylumq; modicè crassum patienter suscipiunt.

XI.

Alligat pulmonem mediastinum tam sterno, quã vertebris dorsi, superiùs verò eundem collo affirmat canna seu fistula pulmonis. Cor lobis suis ita circumplectitur pulmo, ut meritò torale vel culcitra cordis dicatur Filio Sinæ. Rariùs pulmo parietibus thoracis adnascitur, de quo coalitu vitioso legatur Hipp. *lib. II. de morb. p.* 482. ubi vitium hoc *Pulmo in latus procumbens* inscribitur.

Hîc obiter quæritur, *An omne vulnus thoracem perforans*

rans

vans exspiret? Acriter axioma hoc tuentur Chirurgi affirmando, verùm simpliciter illud verum esse haut opinor, quippe fieri potest, ut telum eo loci thoracem pertundat, ubi pulmo coalitu affirmatur pleuræ, & tum vulnus illud nequaquam expirando ventulum faciet adstanti.

XII.

Actio pulmonis est aërem reciprocare, & æstum cordis ventilare. Et quidem ob raritatem & assimilem spongiis mollitudinem pulmo ad haustum vitalis venti aptissimus est, qui ἐναλλὰξ seu vicibus alternis se contrahit ac dilatat, eaq; vicissitudine vitam in corpore tuetur. Perficit autem opus suum facultate quadam domesticâ, vocatis in subsidium diaphragmate ac musculis, qui thoraci ancillantur. Hoc nobis ignoscet Galenus, *qui de motu thorac. & pulmonis, p 636. Class. I.* statuit, pulmonem nullum innatum habere motum, sed agitari eundem ad motum thoracis. Imò & Aristot. jure incilare haut potest *lib. III. de part. animal. c. VI. pag.* 1158. inquiens: τοῦ δ' ἀναπνεῖν ὁ πνεύμων ὄργανόν ἐστι, τὴν μὲν ἀρχὴν τῆς κινήσεως ἔχων ἀπὸ τῆς καρδίας. Quamvis enim propter cor potissimùm fiat respiratio, non tamen ab illo fit, Galen. *lib. II. de Hippocr. & Platon. decret. cap. IV. p. 632. Class. I.*

XIII.

Quia verò respiratu se dilatant ac contrahunt pulmones, dabitur duplex respiraminis act9. ἐκπνοὴ καὶ εἰσπνοή. Inspiratus peragitur dilatando, expiratus contrahendo. Dum ingeritur aër, alimonia quasi quædam porrigitur spiritui vitali, & insuper exæstuans ac bulliens cor-

cordis calor ad temperiem quandam redigitur, atq; ita refrigerium dulce fervori offertur. Dum egeritur aër, unà fuliginosa excrementa egeruntur, qvæ materiem quoq; præbent voci tum articulatæ, tum illi, quæ cum lamentis lacrymas exprimit deciduas. Ad risum quoq; facit motus pulmonum reciprocus, juxta illud Germanorum: Er lachet daß jhm die Brust schuttert. Aliàs qui splenem maximè depuratum habent, in cachinnum ac risum plerumq; cum deridiculo solvuntur.

Q. Num respiratus sit actio κατὰ τὴν προαίρεσιν seu voluntaria, an verò merè naturalis? Nos confitemur ex his remistam quandam esse actionem. Nam etiamsi Galen. *lib. II. de motu muscul. c. VI. p. 633. Class. I.* totum spirabile opus voluntate & sponte ab animâ peragi contendat, idq; exemplo servi barbari illuminatè declaret, addit tamen, respiratum urinæ & fecum egestioni esse assimimilem, quæ excretio motus est mixtus. Deinde quando Galenus motu voluntario respirationem expediri nunciat, tum ratione imperij idipsum exaudit, quippe motrix voluntaria in respiraminis actu Domina est & imperatrix. Hinc Galen. *l. c. cap. V. p. 632.* verba illa accommodatè subjungit: *evidens est voluntatem respirationi dominari.*

(2.) *Q. An respiratus alumnetur spiritum animalem?* Galen. *lib. VII. de us. part. c. IX. p. 317. Class. I.* respirationis usum primum & maximum statuit caloris nativi conservationem, secundum verò & minorem spiritus animalis nutritionem. Idem congeminat *lib. de utilit. respirat.* Nos arbitramur, κατὰ τὸ συνεχὲς animales nutriri spiritus, vitalibus priùs instauratis, quæ mox in escam cedunt animalibus. Quod verò aër pabulator sit vita-

 lium,

lium, etiam Hipp. *lib. de aliment.* clarè edocet: ἀρχὴ τροφῆς πνεύματος ῥῖνες, στόμα, βρόγχος, πνεύμων, καὶ ἡ ἄλλη διαπνοή.

THEOREMA SECUNDUM.

Pulmo peripneumoniæ, phthisi, respiratus difficultati, tussi, hæmoptysi, verminationi, calculo & tuberculis quibusdam obnoxius est.

§. I.

Pulmo variis subjacet affectibus, quos inter Pulmonia principem tenet locum. Morbus ille tumor est egregiè fervidus, à sanguine, foraminulentam & raram pulmonum substantiam perpluente, oriundus, inauspicata illa pignora, febrim, tussim, dispnæam, & dolorem gravantem producens. Sæpiusculè sanguis, querquerae πνευμονίας autor, è dextro cordis specu per venam arteriosam abitum ad pulmones parat, eorumq; lobum unum vel alterum, interdum totum parenchyma collutulat, & vitiosê insuccat. In anginâ & pleuritide μεταστάσει quadam è faucibus & lateribus ichor prorumpit, & funestè pulmones ferit. Imbibitus à pulmone, sanguis primitùs αἱμάλωπα reddit sputamenta, & paulò post πεπασμῷ mutatus tussi ejiciter, salvâ pulmonum substantiâ. Peripneumonici aliquando summis naribus respirant ex mente Sabini, *h. e.* narium pinnas in

expi-

exſpirando contrahunt, in inſpirando dilatant, explicante Galeno *lib. III. de morb. vulgar. comm. II. ægrot. VII. p. 265. Claſſ. III.*

II.

Optimum ſignum in hoc affectu ſuppeditat ſputum promptè rejiculum ac flavum. πτύαλον δὲ χρὴ περιπνευμονικοῖσι εὐπετέως τε καὶ ταχέως ἀναπτύεσθαι, μεμίχθαι τι τὸ ξανθὸν τῷ πτυάλῳ, habet Hippocr. *in Coac. prænot.* §. *CCCXC. p.* 179.

III.

Phthiſis, quæ φθόη ut & πύη Veteribus dicebatur, accisio eſt totius corporis, ab ulcere pulmonis orta, conſectaria habens febrim lentam, tuſſim, puris ſputum, ac tandem difficilem reſpiratum, viriumq; exhauſtum. Lapſu temporis urget exoletus aſpectus & vultus cadaveroſus, ungues fiunt adunci, depaſto eorum fulcimine, capilli defluunt, & tandem juxta Poëtam:

Oſſa tegit macies, nec juvat ora cibus.

Naturâ ad tabitudinem nutant φθινώδεις καὶ πτερυγώδεις, quibus pectus eſt anguſtum, collum longum, inter ſcapilium depreſſum, & à tergo alata velut prominent ſcoptula. Cauſa mali eſt vel feritas catarrhi, vel ruptio venæ pulmonariæ.

IV.

Carnulenti pulmones ulcerati ægriùs curantur ob laxam eorum compagem, motumq; indefeſſum. Accedit, quod maxuma portio medicaminum ſiniſtro tramite ad ventriculum deerret, pauxillo tantum ad pulmones amandato. Curatio proinde optuma inſtituitur ſiphunculo anguino, quò vapor decocti conferentis recta ad pulmones deducitur, in ſubſidium ac-

cerſito forti inſpiratu. Idem in fumario tubulo fumo-ſo moliri poſſumus.

V.

Territorium difficilis reſpiratus agnoſcunt δύσπνοια, ἆσθμα καὶ ὀρθόπνοια, mala κατὰ ἧττον καὶ μᾶλλον differentia. In diſpnæâ anhelitus creber eſt & denſus, aſt ſine febre & ſomno. Aſthma crebriorem habet anhelationem, frequentiſſimam orthopnæa, in quâ ὀρθίῳ σχήματι ſpiritũ ducunt ægri, & quidem ſæpicule cum ſonitu. Utriq; reſpiratui frequenter ſomnus, & quandoq; febris blanda & halituoſa conſortio jungitur.

VI.

Ortum utplurimum habent ſpirandi nocumenta, ubi pulmonum bronchia infarctu quodam onerantur, & viæ, per quas anima ducitur ac reducitur, anguſtantur. Afferunt quoq; ſufflamen reciproco pulmonũ motui empyema, pulmo coſtarum crati perperam affirmatus, luxatio dorſi κύβωσις καὶ λόρδωσις, mucronatæ cartilaginis prolapſus, fractura & luxatio coſtarum, hydrops pectoris, viſcerum inferiorum ſaburra, flatus διάζωμα (diſſeptum illud obtentui eſt cordi, & interjectu ſuo vitalia à naturalibus diſcriminat) infeſtantes. Σκολίωσις quoq; & σεῖσις reſpiratum parere queunt difficilem, nervis cõpreſſis, qui motui thoracis deſerviunt. Incommodant inſuper reſpiramini pectoris & abdominis muſculi, ægritudine correpti, ut & nervi ſtatu ſuo dejecti, qui diaphragmati & thoracis muſculis vecturâ ſpirituum debitè proſpiciunt.

Q. hic (1) *An humor aſthma inducens pulmonum bronchia ſemper farctu quodam oneret?* Inæqualitas pulſuum &

tuſſis

tussis sicca, quæ haut rarenter asthma comitantur; etjam in pullulis arteriarum lævium & pulmonum substantiá fomitem esse mali, abundè arguunt.

(2) *Q. An asthma frequentiùs à deciduo catarrho, an verò ab ichore crudo, per venam arteriosam in pulmonum substantiam amandato, sua trahat natalitia?* Posterius asseritur.

VII.

Tussis βὴξ Græcis, unde βῆγμα quod tussiendo expuitur. Urgens ac valida est spiratio, quâ spirabile organum irritamenta extundere satagit. Anteambulo tussis est κέρχνος proclivitas in tussim. Quia verò invalidus est pulmo ad molestias suas auruncandas, hinc optionem sumit thoracem, qui famulatu præcordiorum ac musculorum μεσοπλεύρων, aërem impetuosè vibrat, & cum eo noxium sæpe exturbat illicium. Animadvertunt autem facilè irritamēta pulmonum bronchia, intus membranâ quadam investita.

VIII.

Pariunt quoq; tussim, pituitam vix citantem, inferiorum viscerum infarctus, phyma phlegmonodes dissepti, hepatis, & aliorum interaneorum, &c.

Q. Cur auriscalpium, marmoratis expurgandis destinatum, profundiùs intrusum tussim excitet? Fit hoc ob ramulum quendam quinti nervorum conjugij, ab auditu explantatum, & trachejæ implantatum.

IX.

Spirabile organum interdum etiam nectar vivificum ac vitæ prædium, quod ἀφρῶδες ἐπάνθισμα est, querquerâ quadam tussi expectorat, quæ rejectio ἀναγωγὴ nun-

nuncupatur. Vitium hoc à vaſis ruptis, apertis, eroſis, vel rarefactis enaſcitur. Unionem violant tuſſis, lapſus, ictus & clamor, ſucci acres pulmonem perpluentes, plethora, fluxus ſuppreſſi, & conſimiles cauſæ. Infortunij hujus parens quandoq; eſt venenum. Exemplo ſit Aratus Sicyonius, qui à Philippo Macedonum Rege potionatus, internecinum ſputamentum ἐπίχειρον τυραννικῆς φιλίας commodè nominavit.

Q. *An ſanguis, quem pulmo tuſſiendo extundit, ſemper ſpumeſcat?* Id arbitrantur complures. Nos confitemur ſanguinem ex propriâ pulmonis ſubſtantiâ prodeuntem eſſe meram ſpumam, illum verò, quem lacera vaſa quandoq; eructant, minimè eſſe ſpumoſum.

X.

A pulmone dimanans ſanguis, ſi per anaſtomoſin vel diapedeſin exilit, faciliùs ſuflaminatur orificiis vaſorum clauſis, & tunicis denſatis. Si verò ex fracto vel abraſo pulmonum vaſculo egrediatur, ægriùs expuitio ſiſtitur, quippe lacera vena ſpumoſi & follis modo agitati viſceris tardiùs coit.

XI.

Verminat etiam quandoq; pulmo, ubi humore turpabatur vitioſo, in quo ſeminium & ψυχικὴ θερμότης deliteſcebat. Leidæ in diſſectis cadaveribus ſæpe obſervatum fuit, ſanguiſorbum hoc viſcus teredine intus abſumi, quemadmodum aliâs ligna carie infeſtata exeduntur. Calculis quoq; idem urgetur pulmo, à ſucco lapideſcente ortis, qui modò exiles & grandini aſſimiles, modò majores. Cl. Tinctorius hîc Regiomonti non ita pridem parenchymati pulmonis ingeneratum

nota-

notavit calculum, mole suâ castaneam æquantem. Verminationem & calculum excreta nî prodant, indagine laborioso cognoscimus.

XII.

Tubercula pulmonum cruda & matura, vel ex affluxu, vel ex congestu oriuntur materiæ. Ex congestu enata quædam involucro gaudent membraneo, quædam amiculo prorsus destituuntur. Arterias læves occupans tuber pulsum inordinatum, inæqualem, & intermittentem sæpe parturit. Bronchia infestans tussi, spiratione gravi, ac dolore quodam ægros multare assolet. Parenchyma si inhabitet tumor, indolentia adest, κέρχνος, & respiratus mitius sufflamen.

XIII.

Hytatides etiam foris tegumentum pulmonis commaculant quandoq; ichorem limpidum expuentes. Hujus gentilitatis vesicæ hydropem pectori ingenerant, ut & illæ, quas præcordiis vitiosè annatas observavimus in quodam Flandro. Rarissimè contingit (obiter illud addo) pulmonem succo natalitio ita exhauriri, ut baculo percussus in pluscula abeat fragmenta. Hæc proletariè de affectibus pulmonis.

DEO CONDITORI GLORIA.

Διδόμενα ἀλλότρια.

I.

Bubones Venerei plerumq; supra ingven vel in flexu ingvinis erumpunt, bubones verò pestilentes & alij infra ingven. Ratio hujus rei â diverso glandularum positu, & veneni crassamine desumenda, quemadmodum à nobis in discursu huberiùs edocebitur.

II.

Poros substantiæ cerebri intus tenuissimis investiri membranulis, gratis dicitur.

III.

Specifico medicamini non repugnat plurimis opponi morbis specificis.

IV.

Dolor indicans remotorium suppeditat, distinctum à curatorio specialiùs dicto, & præservatorio.

V.

Pulmo juxta Arist. sect. IX. problem. quæst. VI. p. 883. *vibices emaculat* τῷ ἐπισπᾶν ἐφ' ἑαυτὸν διὰ μανότητα. Nos aliam in discursu dabimus causam.

VI.

Minutal brassicæ muriaticum (Sawer Kraut) nutantem fulcit ventriculum ex mente quorundam. Verùm haut aliter eundem roborat, quàm gerres seu inveterati pisces.

DEO CONDITORI GLORIA.

